

Wien

Sammelband 4

00 B.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA D. N.

De
UNIONE PROLIUM,

Quam,
Divinâ Favente Gratiâ
DECRETO ET AUTHORITYTE
NOBILISSIMI AMPLISSIMIQ; JCTORUM
ORDINIS IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
HEIDELBERGENSI ACADEMIA,

PRÆSIDE
Viro Nobilissimo ac Excellentissimo
DN. CHRISTIANO ERNESTO

Reichenbach / J.U.D. & Pand.

in jam laudata Universitate Profess.

Ord. Dn. Fautore ac Promotore suo

æternùm colendo

PRO LICENTIA

*Summos in Utroq; Jure Honores, Privilegia
& Insignia Doëtoralia solenniter conse-
quendi*

Publicæ & solenni Eruditorum Disquisitioni submittit

ABRAHAMUS BOLTZINGER,

Bacchraco-Palatin.

Ad diem 27. Junii. In Audit. Jctorum H. S.



HEIDELBERGAE,

Typis WILHELMI WALTERI,

Acad. Typogr. MDCLXXII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO

DN. CAROLO
LUDOVICO,
D. G. COMITI PALATINO AD RHE-
NUM S. R. I. ARCHITHESAURARIO,
ET PRINCIPI ELECTORI
DUCI BAVARIÆ,
&c. &c.

PIO, FORTI, FELICI, INCLYTO
PATRIÆ PATRI

DN. SUO CLEMENTISSIMO

Inaugurales hæc Pagellas
Sacras facit

SERENIT. S. ELECT.

Humillimus ac Devotissimus Servus

ABRAHAM BOLTZINGER.



PRÆLOQUIUM.

In consuetudinem in rebus natura-
libus alteram naturam vocare li-
cet, ut hæctenus fieri consuevit,
multò magis in civilibus alterius na-
turæ nomen legibus tribuendum
esse censemus. Leges enim sunt, quæ non mo-
dò spe præmiorum & pœnarum metu, quem-
cunq; in officio suo continent, & lites inter ci-
ves ortas cessare faciunt, sed & quæ naturæ
subveniunt, ipsius defectum suppleant, & vari-
orum querelis authoritate atq; beneficiis suis
benignissimè opitulantur; Etenim denegavit
alicui natura iudicii firmitatem, ut rebus suis
præesse nequeat, atq; sic fortunas suas quasi
direptioni exposuit, leges ipsi propitiæ sub-
veniunt, & alterius iudicio, tutoris videlicet,
ipsum regendo planè indemnem servant. Re-
cusavit alteri natura prolem, quam desiderat,

ut maritus quidem sit, sed patris nomine vacuus, leges ipsi faventes succurrunt, defectum naturæ suppleant, & adoptionis beneficium suppeditando eundem parentem constituunt. Concessit quidē alii natura plures amoris ob-sides, & familiæ propagatores, at ex diversis natos matrimoniis, ut rixas atq; contentiones circa bona sua pius metuat parens, itidem le-ges ipsi succurrunt, quarum autoritate ejus-modi liberos ita unire licet, ut omnes ex uno eodemq; sanguine descendisse, eodemq; pro-diisse utero dicantur censeanturvé. Cum ergò tantus sit legum favor, tantaq; autoritas, ut altera natura dici mereantur, idq; inprimis ex saluberrimo, cujus modò mentio facta, legum beneficio, unionis videlicet liberorum, efful-geat, ideò de eo ipso Disputationis Inauguralis loco quædam annotare operæ pretium duxi, quæ ut benignâ mente excipiantur, in votis habeo, exopto, peto,

CAP. I.



CAPVT I.

De Definitione tum Nominali, tum
 Reali, Origine itidem & Causa receptæ
 & approbatæ Unionis
 Prolium.



DE Unione Prolium dissertaturus, non immeritò ea, quæ ad nominis notionem aliquid facere videntur, præmittenda duco, cum prior verborum, posterior licet potior rerum habenda sit ratio *l. 5. ff. ad L. Aquil.* Sciendum itaq; vocabulum Unionis (quod ab Uniendo, Germanicè Vereinigen / vel ab uno dictum) varias in Jure significationes habere, variisq; rebus applicari: Sic (1) *in l. 30. ff. de servit. præd. Urb.* agri dicuntur *Vniri* dum amotis terminis, ex pluribus agris unus efficitur (2) Actiones *Vniri* dicuntur, dum unius vis, natura & effectus in alteram coalescit uti patet ex *l. un. §. 2. C. de rei uxor act.* (3) dicuntur *Vniri* beneficia Ecclesiastica in *cap. 8. X. de excess. præl.* dum Episcopatus Episcopatui subicitur, & ex duobus unus constituitur. (4) Animi dicuntur *Vniri*, cum plures idem sentiunt. Imo (5) *Vnionis* nomine & Margarita venit, de quo Plin. *hist. nat. lib. 9. cap. 35 add. l. 6.*

A 3

princ.

princ. ff. de aur. & arg. leg. l. 19. §. pen. ff. cod. Cujac. lib. 19. obser. 18. 6. Unio prædicatur de liberis, qui *Vniri* dicuntur, dum unum idemq; jus præprimis in succedendo omnibus, quamquam ex diversis matrimoniis procreatis, tribuitur, quæ acceptio hujus est loci, ut ex inscriptione apparet & vocatur communiter *unio Prolium* item *pactum unionis*, vel *parificatio Prolium seu liberorum*; Germanicè *die Einfindschaffe*. Definiri solet, quod sit pactum vel actus quo causa cognita auctoritate Magistratus; & eorum quorum interest consensu accedente, liberi ex diversis matrimoniis procreati, aut procreandi, ita uniuntur, ut utrique conjugii pro naturalibus liberis habeantur, & aliquando omnes æqualiter succedant. vid. *Besold. part. 2. cons. 29. Rick. de Unione Proli. cap. 1. n. 8. Hahn. ad Wesenbec. tit. de adopt. num. 6.* Nam cum non modo variis locorum statutis inductum fuerit, ut liberi prioris matrimonii immobilia omnia, posterioris verò matrimonij proles saltem acquisita constante matrimonio & mobilia haberent, atque ex hoc magna ut plurimum eveniret inæqualitas, ut aut hi, aut illi extremam ferrent inopiam, cum vix minimum è parentum successione consequerentur, dum interim alii ex eorundem successione benè & molliter se curarent, quod si non iniquum, prædurum tamen, *arg. l. maximum 4. C. de lib. prat. l. 14. ff. de legit. hered.* sed & jure communi cautum fuerit, ut concurrente ex diversis matrimoniis prole, quisque liberorum suo patri, aut suæ matri succederet, atque ob factam bonorum confusionem ex duplici aut triplici divisione sæpe plurimæ lites inter liberos suborirentur, ideo ad pactum Unionis, ceu unicum remedium sæpe parentes convolarunt, & ad æqualitatem introducendam, tollendamque omnium litium materiam adhibitis adhibendis disposuerunt, ut omnes liberi sive veri, sive fictitij,

fictitij, in omnibus bonis tam paternis, quam maternis se-
 clusâ omni differentia (nisi forsan prælegatum quibusdam
 relictum) æqualiter succederent. Ex quibus facile apparet,
 quàm favorabilis sit hæc unio, vel solo nomine grata, quia
 super filiationis, & quasi mutuae & individuae confraterni-
 tatis jure erigitur, & per illam efficitur, ut conjugalis amor
 & fraterna inter utriusque matrimonii liberos dilectio tanto
 magis & arctius coalescat, & progressu temporis firmissi-
 mum quasi robur accipiat, cum nulla re magis conservetur
 inter liberos concordia, quam succedendi æqualitate. *l. 6 §. 2.
 C. de bon. qua lib. l. ult. in fin. C. comm. utr. jud.* ad quam ipsa
 lex parentes invitare videtur *Novell. 22. cap. 48.* Nihil ergo
 aliud hoc pacto agunt parentes & reliqui quorum interest,
 quàm ut omnis de patrimoniis diversis per matrimonium
 subsequens confusis altercandi occasio aliàs facilimè subori-
 tura *d. l. 6. §. 2. C. de bon. qua lib.* præcidatur, cum satius sit
 brevi negotia expediri compendio, quàm per quandam sub-
 tilitatem judicialem longo dispendio prorogari *cap. 3. de sent.
 & re judic. in 6. l. 10. §. planè ff. de reb. dub. l. inter part. 38.
 ibiq; DD. ff. de re jud. Consil. Argent. vol. 2. cons. 25. n.º 17.
 & seqq.* quid quod etiam hujus unionis beneficio detesta-
 bile & antiquum novercarum & vitricorum de privignis
 conceptum odium, delinimenta itidem & instigationes no-
 vercales, quarum mentio fit in *l. 4. ff. de inoff. test.* expellan-
 tur aut attemperentur, & in solatium amissorum novi quasi
 parentes liberis constituentur ad imitationem adoptionis de
 qua *§. 3. Inst. de adopt.* Quæ causa est, quod notissima to-
 tius Germaniæ consuetudine hæc Unio Prolium recepta, &
 quàm plurimis Principum Ordinationibus variisque statutis
 confirmata fuerit ut inter alia apparet ex iure *Electoralis Pala-
 tino, Landrecht dicto part. 2. tit. 25. von Einfindschafften ge-
 nannt.*

manne. Pacta Unionis Prolium. Jure Würtembergico
part. 2. tit. von vergleichung der Kinder: item ordinationibus
 & statutis Moguntina, Juliacensi, Spirensi, Wormatiensi, Sol-
 mensi Francofurtensibus & aliis. Confer. Gailius *l. 2. obs. 125.*
 Wehn. *observat. pract. voc Einkindschaffe.* Et licet à qui-
 busdam hoc Unionis pactum utpote legibus adversum impro-
 betur & rejiciatur, cum non pactis sed testamentis & legibus
 hæreditas deferatur, & ejusmodi pactiones de hæreditate vi-
 ventis non solum contra bonos mores, sed & odiosæ & plenæ
 tristissimi & periculosi eventus esse videantur. *l. ult. C. de pa-*
ctis. Illud tamen Tum ex eo sustinetur quod non principa-
 liter nec præcipuè super hæreditate & successione futura, sed
 super filiationis & quasi mutux ac individux confraternita-
 tis jure ineatur. Carpzov. *lib. 5. resp. 6. num. 6.* dict. Conf.
 Argent. 23. *num. 28.* Tum ex eo, quod ejusmodi pactum
 Unionis non sit contra bonos mores, sed potius, ut modo
 dictum, admodum favorabile. Nam quid quæso peccavit,
 inquit Rick. *cap. ult. n. 20.* quid deliquit, in quam naturæ
 legem incurrit ille, qui liberrimo animi motu de bonis ac
 fortunis in eventum mortis pactum iniit, & ita certis de
 causis testamenti factioni quodammodo renunciavit: Ac-
 cedit, quod notoria consuetudine seu observantia ut & pe-
 culiaribus locorum statutis & principum ordinationibus ju-
 ri civili in hoc puncto sit derogatum *arg. §. penult. Instit. de*
Jur. Nat. Gent. & Civil. Conring. *de Orig. jur. Germ. c. 33.* ad-
 datur Gail, *dict. observat. 125.* Joh. Fichard. *Tom. 2. conf. 89.*
num. 2. Hinc Juris Consulti Argentoratenses dict. Conf. 23.
 responderunt: ob schon solcher Contract, Unio vid. Pro-
 lium, gemeinen beschribenen Rechten unbekannt / und schwer-
 lichen durch dieselben, justificiret und erhalten werden mag / so
 sind doch nunmehr im ganzen Römischen Reich, solche einigung
 gen

88: (9): 90
gen ungleicher Ehe-Kinder / theils durch hergebrachte übliche
Gewohnheiten / zum theil auch außgetruckte Statuta, Municip-
pal Statt und Land-Recht dergestalt bekräftiget / daß ferner
solches in Zweifel oder weitläufftige Disputation zu ziehen ein
lauterer überflusß ist.

C A P V T II.

De Personis Unientibus & Uniendis.

POSTquam de Definitione, origine & causa Unionis
actum, videamus nunc de personis, quæ Unire & Uniri
possunt: De illis (has enim postea tangemus) generalem
cum DD. regulam construimus, quod inter personas quas-
cunque conjugatas, vel conjugari non prohibitas hæc Unio
locum habeat *arg. l. 28. ff. ex quib. caus. maj. Rick. dicto
tract. cap. 4. num. 1* sive ergo ab utraque, sive ab alterutra
parte Unientes conjuges liberos habeant susceptos, Unio
procedet, modo hoc casu posteriori spes procreandæ sobolis
non deficiat, nam si e.g. Uxor saltem liberos habeat ex
priori matrimonio, ex posteriori autem varias ob causas
nulli sperentur, pactum, cujus vis in Unione Prolium
consistit, non valet; At si ex posteriori matrimonio spe-
retur proles, subsistit Unio, adè, ut juxta Communiorem
DD. opinionem vigore illius privigni in bona vitrici aut
novercæ succedant, licet considerato eventu spe sua conju-
ges exciderint, nec ullos deinceps ex posteriori matrimonio
liberos susceperint, de cujus tamen sententiæ veritate inf.
cap.

cap. 5. & 6. pluribus acturi sumus. Cæterum ex antea traditis simul apparet, quid dicendum sit de ijs, qui propter ætatem nimis provec̄tam nullam suscipiendæ sobolis spem habent, & tamen unionis beneficio uti gestiunt? nempè si jam tum ex priori matrimonio uterque conjugum liberos habeat susceptos, Unio sine dubio procedet, cum & matrimonium inter ejusmodi personas subsistat *l. 27. C. de nupt.* sin minus, deficientibus personis seu liberis uniendis, ipsam quoque Unionem deficere censemus cum *Rick. dict. tract. cap. 4. num. 27.* concordat *Jus Electorale Palatinum part. 2. tit. 25. §. 7. verbis.* zum Beschluß sehen / erklären und ordnen Wir / daß die Einkindschaften / ob sie gleich Gerichtlich zugelassen / auch eingeschriben worden / doch anderst nicht vollkommen noch kräftig seyn sollen / sie haben dann ihre würcksichkeit erreicht / also daß beyde Ehegemächt / so die Einkindschafft auffgerichte / beyderseits eheliche Kinder zusammen bringen / oder da der eine Theil Kinder herzu bringt / sie beyde hernacher in stehender Ehe eheliche Kinder miteinander erzielen / und hinder sich im Leben verlassen. Ratione conditionis nihil interesse putamus, num conjuges Unientes plebejæ & infimæ conditionis sint, num verò nobiles, illustres & egregij; quamquam enim hi ob familiaria sua pacta, quibus plerumque alienatio bonorum & translatio in extraneos ob nominis & stemmatis conservationem est prohibita, rarò hoc Unionis beneficio uti queant, & propterea etiam adoptatorum & Unitorum liberorum nulla in feudis & similibus bonis sit successio *text. 2. feud. 26. §. adoptivos. Schrad. de feud. part. 7. c. 5. n. 19. Rosenthal. Syn. Feud. cap. 7. concl. 30. num. 33.* non tamen propterea illustribus & nobilibus personis hoc beneficium in genere negandum. Quid enim si bona habeant non feudalia & alienari non prohibita

bita, vel Unionem ita faciant, ne pactis familiaribus & iuri
aliis quaesito aliquid detrahatur? videatur Zepp. *discur. jur.*
tit. 2. num. 24. quo faciunt verba JurisConsultorum in dict.
Consil. Argent. 23. *num. 34.* Das aber dergleichen Einkinds
schafften allein unter geringen Stands-Personen bräuchlich /
das ist weder ex jure communi noch andern angezogenem
Recht zu beweisen / dann obschon an etlichen Orten allein un-
ter geringen Leuten solche Einkindschafften gebräuchlich / so
ist doch andern und höhern Personen gar nicht verwehret ders-
selben sich auch zugebrauchen / quatenus scil. inter nobiles &
alias eminentis dignitatis personas Majoratus, stemmatum
vel præcipua bona immobilia non penitus intervertantur.

Atque hæc de personis unientibus dixisse sufficiat. Uni-
endas quod attinet Communis & Juri conformis sententia
est, liberos saltem legitimos cum legitimis uniri posse, non
naturales; Patri siquidem in præjudicium liberorum, quos
habet, legitimorum, naturales mediante unione Prolium ad
mutuam successionem vocare non licet *l. 8. & Auth. seq. C.*
de natural. lib. matri tamen naturalibus per unionem Pro-
lium prospicere licere non videtur dubitandum *arg. l. 1. §. 2.*
ff. ad SC. Tertul. & Orphit. l. pen. C. eod. quo facit commu-
ne proverbium keine Mutter trägt einen Bastard. Imò &
patrem Justis liberis non exstantibus per unionem naturali-
bus liberis prospicere posse, tradunt Rick. *dict. tr. cap. 4. n. 8.*
& seq. Bart. Musc. de success. convent. class. 1. memb. 3. lit.
num. 112. & seq. Zepp. discur. jurid. tit. 2. num. 18. idque arg.
authent. licet patri C. de natural. liber. quod autem attinet
liberos ex damnato coitu natos, illi etiamsi soli existant, nul-
lo modo ad unionem & communionem bonorum vocari
possunt, *arg. novell. 89. cap. ult. & auth. ex complexu C. de in-*
cest. nupt. l. 6. Cod. eod.

B

CAP. III.

CAPVT III.

*De rebus, in Unione
communicandis.*

Superiori capite de jure personarum Unientium & Unendarum exposuimus : modo videamus de rebus, quæ in Unionem venire possunt, & istius vigore sunt communicandæ ; Et in genere velut regulæ loco statuendum esse censemus, quod quæcunque bona ex successione paterna & materna filiis sunt acquisita, ea omnia vi unionis sint communicanda, & inter liberos unitos æqualiter dividenda. Notanter autem diximus bona materna & paterna esse communicanda, ut excludamus alia bona, quæ forsitan liberi uniti ipsi sibi comparârunt, aut aliunde illis obvenerunt, nam ejusmodi bona conferenda & communicanda non sunt, cum unio saltem respiciat bona parentum, non autem unitorum. Vid. Muscul. *dict. loc. lit. K. Rick. cap. 5. num. 1.* Eadem videtur esse ratio bonorum, quæ jure communi aut speciali à collatione sunt excepta : ut sumptus in studia, honores & munera filii facti *l. 50. ff. famil. ercis. conf. Carpzov. part. 3. const. 11. defin. 17. & 18. Richt. ad auth. habita C. ne fil. pro pat. part. 3. fol. 77. & seqq.* item quæ filij præcipua habent in successione parentum, si unio facta non esset, & quæ filiorum sunt, etiamsi parentum suorum heredes non forent, qualia sunt feuda vel alia bona vigore juris primogenituræ, aut alterius specialis juris ad filios pertinentia *arg.*

l. 22.

l. 22. §. 1. in fin. ff. de adopt. add. Knipschild. de fideicommissis fam. cap. 8. num. 436. & seqq. Rick. cap. 5. num. 10. & seqq. Illustrantur & confirmantur hæc quodammodo Jure Elect. Palat. im Landrecht dict. tit. 25. §. 2. ubi cavetur. Daß Krafft der Einfindschafft die gleichgemachte Kinder nach der Eltern Tode erstlich ihren voraus (da einiger gemacht worden) dann auch alle Güter / die in der zweyten Ehe von dero nächstgesipten Freunden ihnen auff und anerstorben / oder sonsten durch Testament / donationen oder einem andern Titul angefallen / und zugestanden wären / zum voraus nehmen / hernacher den gemachten Vatter oder Mutter / gleich andern deroselben natürlichen / ehelichen Kindern erben sollen. Quod si tamen maxima inter liberos non facta dict. sumptuum collatione oriatur inæqualitas, veluti, si in prioris matrimonii filios, jam fortè grandiores vel militiae, vel mechanici opificii vel liberalium artium & studiorum avidos & in iisdem exercitatos, pater plurimis expensis factis res suas uterunque exhausserit; atque in posterioris matrimonii liberos adhuc tenellos nullos adhuc expensas fecerit aut facere potuerit, rigore juris seposito æquitati magis consentaneum esse judicat Rick. dict. loc. num. 15. & 16. ut harum expensarum aliqualis habeatur ratio, & inter liberos quædam constituatur æqualitas, quippe ob quam Unionem Prolium introductam & approbatam esse supradiximus, conf. l. 20. §. 1. Cod. de coll. verb. ne ex eo injustum aliquod oriatur l. ult. Cod. comm. ut. jud. sed plura de bonis ex facta unione communicandis & jure in eadem succedendi agemus inf. de effectu unionis cap. 5.

CAPVT IV.

*De forma & solennitatibus, quibus
Unio celebrari debet.*

Circa formam Unionis Prolium ante omnia ad jura particularia ordinationes & statuta localia ut & consuetudines respiciendum est, quæ omnia ad unguem sunt observanda *arg. l. 9. ff. de just. & jur. iis autem deficientibus, ex affini adoptionis, & arrogationis materia requisita formalia mutuari & adhibere necesse est, Scilicet ut (1) pactum unionis fiat coram Magistratu ordinario & iudice competente l. 1. & ult. Cod. de adopt. Treutl. vol. 1. Diss. 2. thes. 1. 2. & H. lit. G. ut autem coram principe fiat, aut principis rescripto interveniente, prout in arrogatione requiritur, necesse non est. Rationem differentia vide apud Rick. cap. 6, n. 5. Magistratus itaque ordinarius, etiam inferior ad confirmandum unionis pactum habilis est, cujus assensum, & auctoritatem unientes requirere debent, ut hac in parte & parentis vicem agat, & geminatum fidelitatis ac pietatis officium præstet, l. 18. C. de jur. delib. & ob id requirendus est iudex, quod officium suum non impertiatur nisi imploratus, maxime in iis, quæ in facto consistunt & ad jurisdictionem voluntariam pertinent. l. 4. §. 8. ff. de damn. infect. ubi DD. Sed quaeritur hoc loco, si personæ unientes diversos agnoscant Magistratus aut iudices, an coram utroque unio fieri debeat, an verò coram alterutro expediri possit? Posterius affirm.*

Muscul.

(17): 30

Muscul. de success. convent. class. 1. memb. 3. num. 69. lit. A.
Zepp. in discurs. jurid. dict. tit. 2. num. 40. & 41. Tum
quod hic actus ad instar adoptionis voluntariæ jurisdictio-
nis sit, adeoque etiam extra locum & territorium expediri
possit l. 36. ff. de adopt. l. 2. ff. de offic. procons. tum quod
iudex, qui ita aditus est, hac in parte per quandam proro-
gationis speciem habilis ac competens fieri videatur, juxta
l. 1. & 2. ff. de jud. At quoniam (1) in Unione Prolium
de liberorum, etiam impuberum & minorum, quorum
semper magna cura habenda est, interesse ac commodo agi-
tur, de quo, ut & ipsis facultatibus personarum unientium,
nemo majorem notitiam habere creditur, quàm ipse Magi-
stratus, sub cujus jurisdictione unientes & uniendi vivunt.
Præterea (2) secundum hodiernos mores, magistratus
quasi tutores sunt & ob id vocantur *Obervormünder* & (3)
prorogatio jurisdictionum spontanea hodie prohibita aut re-
stricta est, vid. Pauermeist. lib. 1. cap. 25. num. 24. Hahn-
ad Wesenbec. tit. de jud. num. 16. ibiq. allegat. Bern. Grav. 1.
concl. 40. n. II. ideo e re liberorum, & sic necessarium esse
censemus, ut, si non coram utroque, utriusq; tamen consen-
su unio fiat, quam sententiam quoq; amplectitur Rick. dict.
cap. 4. num. 53. & 59. ubi variis textibus juris illam confir-
mat. Cæterum ut coram iudice pro Tribunali sedente fiat,
necesse non est, quia quæcunque voluntariæ jurisdictionis
sunt, uti est adoptio, emancipatio, unio, etiamsi causæ co-
gnitionem desiderent, ubique tamen peragi possunt d. l. 2.
ff. de officio procons. & dict. leg. 46. de adopt. Wesenb. parat.
tit. de adopt. num. 5. addatur l. 4. §. ult. ff. de interrog. in jur.
faciend. Carpz. l. 5. resp. 6. n. 14. Deinde & (2) non vo-
tum & petitio ipsorum parentum, sufficit, sed uniendorum
quoq; utpote de quorum præjudicio agitur, consensus accedat

B 3 necesse

necesse est arg. l. 5. § 24. ff. de adopt. dummodo ejus ætatis sint, ut intelligant quid agant & consentire valeant. Zepp. d. l. n. 38. Carpz. dict. resp. 6. n. 19. imò (3) liberorum cognati & consanguinei proximiores utriusque lineæ, ut & tutores & curatores liberorum uniendorum advocentur & super facienda unione, num illa videlicet uniendis damnosa sit nec ne, audiantur, ut constet judici, ab omni facto ac collusione personas unientes esse alienas vid. l. 2. Cod. de adopt. l. 39. ff. eod. & si liberi tutores non habeant, bene faciet magistratus, si aut tutores curatoresque iis præficiat, aut verò eorundem propinquos & amicos in debita forma ad tutelam curamve vocet, Rick. cap. 6. num. 22. Carpzov. dict. l. num. 18. atque hisce consanguineis & tutoribus non solum injungendum, ut, quid de Unione ejusdemque commodo aut damno sentiant, deponant, sed & in majorem rei fidem, & ne clandestinis fraudibus aliquid confingatur, jusjurandum de veritate dicenda, an nempe hoc pactum consanguineis aut pupillis suis uniendis salutare aut non adeò damnosum fore credant, ijs à judice deferri potest Rick. d. loc. num. 17. Illustrantur & confirmantur hæc omnia à Serenissimo Legislatore in Chur-Pfals Land-Ordnung d. tit. 25. §. 1. verbis es soll die Obrigkeit oder Gericht erster Ehe-Kinder nächster Bluts-Freund etliche / auch da sie bevormund / derselben Tutores beschicken / denen die Einkindschafft / sampt der Specification oder Verzeichnuß der Güter zu ersehen / zustellen ; Im fall aber / berührte Kinder noch keine Vormunder hätten / denen alsobald Tutores verordnen / alsdann und nach ersehung der Einkindschafft / überreichter Verzeichnuß / auch gesetztem Voraus / die angeregte derselben nächste Freund und Vormund beendigen / und vermittelst solches Eyds von ihnen erfragen / ob solche Einkindschafft mehrbemeldten der ersten Ehe-Kindern nutz oder nachtheilig seyn möge. Hi

Hisce personis advocatis & in iudicio presentibus (4)
 Institui debet, diligens & accuratissima causæ cognitio & ex-
 cussio, quæ scilicet sint facultates eorum, quorum nomine pa-
 rificatio Prolium petitur, ut ex comparatione illarum à ma-
 gistratu, tutoribus, consanguineis, & reliquis quorum inter-
 est, æstimetur, num liberis uniendis illa salutaris futura sit
 nec ne, Consil. Argentor. vol. 2. consil. 23. num. 9. Carpzov.
 d. l. n.º 20. & 21. Gylman. vot. cam. tom. 1. part. 3. vol. 13. n. 8.
 quæ de causa designationem omnium bonorum, quæ in unio-
 nem veniunt & venire possunt, item eorum, quæ liberi uni-
 endi jam tum acquisiverunt & quæ ipsis salva manere de-
 bent, à personis unientibus ut & liberorum uniendorum
 consanguineis & tutoribus exigere debet Judex, & præprimis
 in id invigilare, ne sub copulandæ aut ineundæ istius unio-
 nis obtentu alter in alterius facultates potius irruere, illis-
 que insidiosè contra bonos mores inhiare, quam conjugalis
 amoris arctiorem conjunctionem & vitæ concordiam, vel
 denique litium fugam appetiisse videatur l. 2. Cod. de adopt.
 leg. 5. §. 10. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt addatur
 Chur-Pfals Land-Recht dict. tit. 25. §. 1. ubi cautum: Das
 beneben soll eine Designation oder Verzeichnuß aller Güter
 und Verlassenschaft / so der ersten Ehe-Kinder von ihren ver-
 storbenen Eltern schon albereit ererbt / und wo dieselben gelegen /
 auch was die werth seyen / desgleichen was beyde neue Ehe-leute
 einander in die Ehe zubringen / in voriger Ehe errungen und ge-
 wonnen / und sonst zu beyden theilen künfftig noch zu gewar-
 ten haben / übergeben: Ebenmässig ob und was beyde Ehe-leute /
 in auffgerichter Einkindschafft / den Kindern erster Ehe für
 ein Voraus verordnet und gemacht haben / angezeigt werden.
 Hisce quali per modum deliberationis ac consultationis præ-
 missis (5) decretum magistratus accedat, necesse est l. 2. C.
 de



de prad. decur. Quia enim magistratus authoritas causa cognita intercedens pars est solennitatis istius actus, dum ad integrandas & pupillorum & parentum jam defunctorum personas adhibetur, ideò non nuda voluntas & consensus sufficit, neque sat erit, si ex intervallo, aut etiam longè post magistratus consensum & authoritatem suam interposuerit, sed requiritur expressa per decretum approbatio, atque ut ea in continenti, in ipsomet actu interveniat, causa cognita plenè & exactè præcognita, non perfunctoriè atque obiter inspectâ *arg. l. 6. Cod. de prad. min. sin. decret. add. Rick. dict. cap. num. 45. Zepp. dict. tit. 2. num. 43.* & huc iterum facit Chur-Pfals Land-Recht *dict. loc. 5.* wann nun verl. im fall / ubi dicitur: Im fall aber die Vormundschaft anzeigen würde / diese Einkindschaft vielberührten Kindern nicht nachtheilig / sondern nutz und fürträglich / soll alsdann die Obrigkeit oder Gericht / nach überreichter Einkindschaft / und Specification der Güter / auch der Vormunden und Freundschaft Anzeig / die allerseits eingewilligte Einkindschaft confirmiren und bestättigen / in ihr Ampts oder Gerichts-Buch einschreiben / und da beyde Theil deren ein besiegelten Schein begehren / denselben ihnen zuerkennen und mittheilen. Denique (6) Ut hæc omnia in scripturam redigantur actisq; inserantur DD, requirunt *arg. l. 4. C. de adopt. l. fin. eod. l. pen. Cod. de emancip. Rationes vide apud Rick. dict. capit. 6. num. 31. & seqq. add. Zepp. dict. loc. num. 49. Muscul. dict. lit. L. num. 96. & seq. add. Chur-Pfals Landrecht dict. loc. verb. in ihr Ampts oder Gerichts-Buch einschreiben / 2c.* Et hæc sunt requisita ad pactum Unionis Prolium maximoperè necessaria, quorum uno vel altero omisso actus unionis haud subsistit, ut bene docent & pluribus probant *Gail. lib. 2. observ. 25. num. 8. Rick. dict. cap. 6. n. 45.*
 Carpz.

Carpzov. *diēt. loc. num. 25. & seqq.* addatur *Consil. Argent. vol. 2. conf. 54 n. 4.* ubi à JC. responsum : ob schon derents halben ein Briefflicher Schein fürgelegt / jedoch so darinnen nicht einverleibt oder erzehlt wäre / daß alle nothwendige solennitäten in auffrichtung der Einkindschafft gehalten worden / als nemblich / daß alle theil von der Obrigkeit derhalben erschienen / und nicht allein der / so annimbt / sondern auch die Person so angenommen/ befragt/ und folgends solch Einkindschafft mit Richterlichem Spruch und Decret bekräftiget und corroborirt worden / daß ein solche Schrift oder Instrument zu beweisung einer adoption oder Einkindschafft nichtig und nicht gnugsam sey.

C A P V T V.

*De effectu Unionis
Prolium.*

EXpositis solennitatibus, quibus Unio Prolium celebrari debet, agamus nunc de ejusdem effectibus, quorum præcipuus in successione positus est, quod nempe liberi uniti parentibus æque, ac si naturales & legitimi essent, succedant *arg. §. 2. inst. de adopt. verb.* licet ab intestato jura adoptionis ipsis tributa sint *l. 10. C. eod. add. Chur-Pfals Land-Reche dict. tit. 25. §. 2. verb.* hernacher dem gemachten Vatter oder Mutter gleich andern derselben natürlich ehelichen Kindern erben ; Sed quæritur, an sicut vigore Unionis liberi uniti Parentibus, ita quoque parentes liberis unitis succedant: Negativam cum Philipp. Meist, & Matth. Col, amplectitur

C

Zepp.

Zepp, *diēt. tit. 2. numero 34.* Propterea, quod per pactum
 parificationis non parentum sed liberorum fiat conjunctio
 nicht eine Vatterschafft / sondern eine Einfindschafft werde
 auffgerichtet / atque dispar sit correlativorum ratio ; item
 quod pactum hoc stricti sit juris, neque ultra intentionem
 contrahentium sit extendendum. Sed contrariam opinionem
 affirmantium, eorum videlicet qui jus successionis paren-
 tibus hoc casu tribuunt, veriozem esse censemus, cum con-
 siderato Unionis effectu non solum liberi uniti & adfiliati
 pro veris liberis, sed etiam unientes parentes pro veris pa-
 rentibus habeantur, & inconueniens videatur, ut filius uni-
 tus pro vero filio, uniens verò Pater & Mater non pro veris
 parentibus sint habendi. Cum ergò vitricus uniens perso-
 nam veri patris, & noverca veræ matris induat, ipsaq; unio
 consensu illorum, quorum interest, & qui successionem spe-
 rant, fiat, non videtur dispar correlativorum ratio, sed ea-
 dem quæ unitis tribuitur, etiam unientibus meritò tribui
 debet successio: quam sententiam quoq; amplectitur Rick.
d. tr. cap. 7. n. 1. Addatur hac de re jus nostrum *Electoralē*
Palatinum d. loc. §. 3. verb. herwider / so der gleichgentachten
Kinder eins / oder mehr / mit Tode abgiengen / sollen dessel-
ben Vatter oder Mutter als rechte natürliche Eltern / solche
Kinder / neben derselben rechten Geschwisterrichen und dero-
selben Kindern / vermöge diß Unsers Land-Rechtens / erben.
 Ipsos autem filios unitos quod attinet, ipsi sibi invicem non
 succedunt, neque pro veris fratribus habentur, cum unio
 saltem respiciat lineam rectam, & inter unientes & unitos
 parentes & liberos jus filiationis eine Einfindschafft / & per
 consequens etiam jus Patrium, non verò jus fraternitatis ei-
 ne Einbrüderschafft constituatur. *lev. Conf. vid. Matth. Col. 47.*
Rick. d. l. n. 4. Zepp, diēt. loc. n. 31. ubi pluribus rationibus
 hanc

hanc sententiam confirmant. Atq; hæc itidem confirmantur à *Serenissimo Legislatore Palatino dict. tit. 25. art. 5. & 6. verb.* daß die zusammen verglichene Kinder einander selbst auch nicht erben / wie sonst rechte Geschwister rich.

Deinde & (2) sicut arrogatio, ut & adoptio certis casibus, jus patriæ potestatis in arrogantem & adoptantem: ita & unio ejusmodi potestatem in patrem unientem conferre videtur, quam tamen Rick. *dict. tract. cap. 8. num. 2.* mediam statuit inter patriam & tutelarem. Atque ut patris adoptivi dignitas filio adoptivo, ita & unientis unio acquisita censetur. *l. 13. ff. de adopt.* (3) Unione quæsitos liberos & parentes sibi invicem alimenta debere Dd. statuunt, argumento ducto à commodo successionis ad alimenta *l. 6. l. si quis à liberis l. fin. ff. de agnosc. & alend. lib.* (4) hunc quoque effectum quidam DD. unioni tribuunt, quod parentes bona sua propria, factâ unione, ne quidem in casu necessitatis alienare queant; Sed hanc sententiam, nisi juri- bus particularibus contrarium fuerit introductum, non admittendam censemus, tum quod intuitu necessitatis, quæ lege caret, multa extra ordinem sint permessa ut constat *ex l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* ubi agitur de venditione filij filiaq; ob summam necessitatem facta: tum quod juxta DD. patri in casu necessitatis sit concessa bonorum adventitiorum in quibus filii proprietatem & pater usumfructum habet alienatio vid. Arns Pinell. *tract. de bon. mater. ad l. 1. Cod. d. t. part. 3.* Num. (5) & hic unionis effectus sit, ut testandi facultas unientibus parentibus adimatur, controversum est? & quidem si parentes non omnia bona sua communi- canda promiserint, sed extra illa, quæ in unionem deduxerunt, adhuc alia bona habeant, nullum est dubium, quin de his testari queant; De iis autem bonis quæ in unio-

nem deducta & liberis unitis causa cognita interveniente
 decreto magistratus promissa & quasi addicta sunt, testandi
 facultas, quot & in quantum illâ unitis præjudicatur, paren-
 tibus videtur adempta vid. Muscul. *d.l. lit. R. n. 135.* Rick. c. 10.
num. 14. & seqq. add. Consil. Argent. 23. vol. 2. n. 19. & 45.
 ubi ita à J. C. tis. responsum : Es ist mit allem fleiß zu erwe-
 gen / daß nach der mehrern Rechtslehrern Meynung / derglei-
 chen Uniones, Einkindschaften und Vergleichungen / da sie
 einmal rechtmässiger weise auffgerichtet worden / durch fol-
 gende Testamenta und andere letzte Willen nicht können cassi-
 ret / zerlöchert und umbgestossen werden ; alldieweiln durch
 solche getroffene Vereinigung den Kindern / beyder Ehe allbez-
 reit ein gewisses Jus und Gerechtigkeit in ihrer Eltern Vermö-
 gen an die Hand gegeben worden. Rationes hujus decisionis
 in promptu sunt, quod nempe Unio Prolium sit actus inter
 vivos & pactum, unde & Pactum Unionis dicitur ; Pacta
 autem & contractus non nisi mutuo utriusque partis con-
 sensu dissolvantur & revocentur *l. 58. ff. de pact. l. 5. C. de ob-*
lig. & act. nec jus per pactum semel quæsitum alteri invito
 auferri possit. *l. ult. ff. de pact. ne quidem per ultimam vo-*
luntatem arg. l. 29. §. ult. ff. de pact. dot. Conf. de hac ma-
 teria Gail. *lib. 2. observ. 126.* Berlich. *part. 2. conclus. 51. n. 25.*
 Carpzov. *part. 2. constit. 43. defin. II.* Consil. Argent. *dict. loc.*
n. 22. & seqq. Præterea hoc loco ubi de effectu Unionis
 agimus, non incongruè quæritur, An etiam ad successiones
 in bona avi aut aviæ & aliorum ascendentium unio sit ex-
 tendenda, veluti si pater uniens fuerit præmortuus, & po-
 stea quoque decesserit hujus patris unientis pater, dubitatur
 num & huic, velut avo suo, unitus succedere possit. Neg.
arg. l. 19. & seq. item l. 26. de adopt. add. Rick. *cap. 7. n. 25.*
 ubi hanc in rem varia allegat jura, particularia quibus addi
 potest.

potest Jus nostrum *Electoral Palatinum d. tit. 25. §. 4. verb.*
 Daß dieselbe sich nicht ferner erstreckt / noch ihre Wirklichkeit
 hat / dann auff Väterliche / Mütterliche und Kindliche Erbs-
 schafft. Eadem est ratio bonorum , quæ filiis unitis aliun-
 de obveniunt , veluti quæ ipsis vel per testamenta aut do-
 nationes relinquuntur vel quæ jure successionis ab intestato
 mortuis cognatis uniti acquirunt. Ad hæc enim omnia pa-
 ctum unionis ejusdem effectus non extenditur, per ea , quæ
 jam tum supra cap. 3. exposuimus. Confer. supr. d. c. 3. p. 13.
ibiq. alleg. jus Elect. Palat. c. 25. §. 2. & §. 3. vers. darumb / ubi
 cavetur : darumb so den Kindern erster / oder auch den nach-
 folgenden gleichgemachten zweyter Ehe Kindern was von ihren
 Bluts-Freunden anfällt und anersterbt / bleibt es denselben als
 lein / und haben die andern Kinder daran keinen Theil. Num
 denique pactum Unionis Prolium effectum sortiat, si li-
 beri ex uno latere e. g. patris omnes fuerint mortui , ex al-
 tero verò latere, nimirum matris, omnes vel aliquot super-
 stites remanserint, vel si ex secundo matrimonio nulli liberi
 fuerint procreati, cum tamen inter procreatos & procrean-
 dos unio fuerit facta , controversum est. Terigimus supra
 hanc quæstionem c. 2. p. 9. vers. *adeo ut juxta communio-*
ubi diximus, communio- esse sententiam affirmantium,
 eorum videlicet , qui unionem hanc , deficientibus licet
 filiis alterius lateris , aut ex secundo matrimonio speratis ,
 nihilominus subsistere autumant, quorum opinionem etiam
 secutus est Rick *dict. tract. cap. 7. num. 71. & seqq.* Zepp.
dict. l. num. 10. & seqq. & summo studio defendit Valen-
 tin. Forster. *Consil. Marpurg. 8. vol. 1.* Sed liceat nobis ab illa
 licet communi Dd. sententia recedere , si non ex aliis , ex
 hac tamen potissimum ratione , quod directò & principa-
 liter in hoc pacto agatur de uniendis ex diversis matrimo-



his procreatis aut procreandis liberis, eorumque jure, com-
modo, & successione. Deficientibus ergo ab uno latere
liberis, ipsa quoque unio deficiat necesse est, cum unio non
nisi plurium rerum vel personarum, quæ inter se uniantur,
esse aut concipi possit. Atque hæc opinio præ illa etiam

*Serenissimo Legislatori Palatino in dict. tit. 25. Landrechts §.
ult. placuit. dum ita disposuit: Daß die Einkindschafften
nicht anders vollkommen noch kräftig seyn sollen / sie haben
dann ihre würcklichkeit erreicht/also daß beyde Ehe-Gemächt/
so die Einkindschafft auffgericht / beyderseits eheliche Kinder
zusammen bringen/ oder da der ein Theil Kinder herzu bringt/
sie beyden hernacher in stehender Ehe eheliche Kinder miteinan-
der erzielen / und hinder sich im Leben verlassen.*

Dann
so der ein oder ander Theil / keine eheliche Kinder in die zwen-
te Ehe zubrächte / oder aber beyde Ehe-Leut in der andern Ehe
keine Kinder erzeugten / oder auch entweder die zugebrachten /
oder in der andern Ehe erzielten Kinder / vor den Eltern gar
verstürben / soll damit die Einkindschafft auch zerbrochen und
gefallen seyn.

Concordat quoque Jus statutarium
francofurtense part. 3. tit. ult. §. wäre es aber. 18. Quod
si tamen ex documento unionis aut aliunde constet, pa-
rentes ita liberos unire voluisse, ut licet unicus saltem ex
illis superstes fuerit, nihilominus ut verus e. g. filius aut
patri aut matri unienti succedere debeat, unitum aut uni-
tam ad successionem admittendam esse censemus, non
quidem vi unionis, quippe quam hoc casu deficere dixi-
mus, sed adoptionis, quæ hoc casu facta censetur. Cæ-
terum ad rationes contrarias, quibus supra allegati Dd. ni-
tuntur, in ipso discursu data occasione respondebimus.

C A P U T VI.

*De his, quæ unioni sunt contraria, seu de modis,
quibus unio facta dissolvitur.*

CUM æquitati naturali nihil magis sit consentaneum, quam ut ea, quæ inter contrahentes placuerunt, serventur, *l. 1. pr. ff. de pact.* facile apparet, etiam hoc unionis pactum ritè & legitime secundum formam *supra cap. 4.* descriptam initum & perfectum, constans, & irrevocabile esse debere, adeò ut ne quidem per testamentum aut aliam ultimam voluntatem tolli ac mutari possit, per ea quæ præcedente capite *vers. n. 5. & hic & c.* adduximus. Quemadmodum autem nihil ferè adeò firmum est, quin certis ex causis tolli aut immutari queat, ita & unio proliam quibusdam casibus expirat aut dissolvi potest. Et quidem (1) omnium, quorum interest, consensu seu mutuo dissensu illam tolli aut mutari posse non dubitandum *per l. nihil tam naturale. 35. ff. de R. J.* (2) unionem expirare & deficere diximus, si necessaria conditio deficiat, veluti si liberi uniti vel omnes, vel ab una parte, v. g. patris unientis, vivis adhuc unientibus parentibus, decesserint, ita ut non amplius extent liberi ex diversis matrimoniis procreati, ut pluribus demonstratum dedimus *præced. cap. versic. Num denique.* Quam in rem allegavimus jus nostrum *Electoriale Palatinum d. tit. 25. §. ult.* ubi hoc de casu cavetur: *daß damit die Ein-Kindschafft solle zerbrochen und gefallen seyn.* (3) ob ingratitude liberorum dissolvi qq. posse unionem communis est *Dd. sententia arg. l. 7. l. 9. & ult. c. de revoc. donat. Muscul. d. l. lit. R. num. 138. Rick. cap. ult. num. 27. & seqq. Consil. Argent. 23. num. 41. circ. fin.* Non autem quælibet ingratitude hoc casu sufficit, sed gravis ad dissolutionem requiri-

tur. *d.l. ult. C. de revoc. donat.* Rick. *d.l. n. ult.* (4) Sine
 dubio tollitur vel potius expirat unio morte parentum uni-
 entium & facta divisione. Ultra primam ergo divisionem
 hereditariam ad alios actus seu ulterioris successionis gradus
 effectus unionis, cujus stricta est natura, porrigi & extendi
 non potest nec debet. Rick. *c. 7. n. 2.* Velut & ante paucos
 menses hac de re Ampliss. Facult. Juridica in Electorali hac
 Academia ita requisita in causa N. de B. respondit. Add,
 ea, quæ supra *c. 3. vers. notanter. & cap. preced. vers. Præterea
 hoc loco &c.* diximus. Num (5) ob enormem quoque læsio-
 nem unio prolium rescindi queat, controvertitur? Et vide-
 tur dicendum quod non, cum pactum hoc instar cujusdam
 transactionis in eatur ad amputandas lites futuras; sicut autem
 transactio, ob enormem læsionem rescindi non debet per ea
 quæ tradit Gail. *lib. 2. obs. 79. num. 12.* Hahn. ad Wesenbec.
tit. de resc. vend. pag. 435. ita nec pactum hoc in se & sua na-
 tura admodum favorabile. *vid. supr. c. 1. p. 7. vers. ex quibus.*
 Sed hanc sententiam veram esse censemus si (1) non dolo al-
 terutrius unientis, sed aliunde, forsan ex superveniente multi-
 tudine liberorum, læsio resultet, & filiis prioris matrimonii ali-
 quid decedat, vel (2) si læsio non tanta sit, ut liberorum legiti-
 mam tollat aut minuat. Quod si verò vel dolo alterutrius
 unientis graviter & enormiter læsi fuerint uniti, vel læsio tan-
 ta sit, ut legitimam non salvam habere queant liberi tunc
 ipsis, præprimis si impuberes & minores fuerint, succurrendum
 esse arbitramur. Add. Rick. *d.c. ult. n. 3. & seqq.* cum etiam communior
 & æquior nobis videatur eorum sententia, qui transigenti quoque enormi-
 ter læso beneficium legis *2. C. de resc. vend.* tribuendum esse docent. *vid.*
Berlich. p. 2. concl. 42. Carpz. part. 1. c. 34. def. 1. Richter. dec. 98. n. 54. & Tr.
de Adverb. signif. adverb. enormiter. quest. 4. ubi plures pro hac sententia
 pugnantes Dd. allegant. Ad quos B. L. remittimus.

S. D. G.

Additamenta.

21

1. **N**um juri offerendi debiti luendi, pignoris longissimo tempore, 30. vel 40. annorum praescribatur, admodum controversum est? Nos affirmativam amplectimur.
2. Venditione facta rem quamvis nondum traditam emptori perire communis est. De sententia & legibus conformis, atque in tantum vera, ut nec pretium emptor repetere valeat. Sed an
3. Idem in permutatione dicendum, dubitatur. Videlicet: dedi tibi vinum ut mihi equum dares, equus perit. Repetere possum quod tibi dedi.
4. Mercaturam Nobilibus interdictam esse pro fabula non est habendum.
5. Honorarium Advocato datum, si per ipsum non steterit, quominus causam agat; repeti non potest.
6. Commodum ex re sua cum alterius damno querere non est interdictum.
7. Et spurios dari ex justo matrimonio natos, legibus probatur.

Nobilissimo & Politissimo Juveni

Dn. Boltzingero

de

Vnione Prolium

doctè differenti.


INvida quam varias gignat Discordia clades
Temporibus nostris bella cruenta docent.
Et quos parturiat dives Concordia fructus
Novimus, & verbis non opus esse reor.
Illa beat populos, & maxima regna Potentum
Privatasque fovet non minus illa domos:


Jugib.

Jugiter hanc optant, qui vitâ coelibe gaudent
Et qui conjugii implicuere pedem.
His nihil est potius nisi concors regula vitæ
Quâ placeant homini, quâ placeantque Deo.
Hinc si diversam cum Sponsa conjuge prolem
Associer viduo fors inimica Viro.
Hoc onus emollit, dum pacta domestica sancit
Et duo constanti pectora pace ligat.
Has leges, moremque probas, & fortius *unus*
Legibus haud uno pignora nata thoro.
Sic ut constantem ferat *Vnio prolis* amorem
Detque domi pacis commoda, detque foris,
Si quis & hostiles pariter sic poneret enses
Næ mihi præ reliquis aureus ille foret.
Fata viam pandent, Tibi sed dent Fata puellam
Quæ nondum didicit virgo capistra pati.
Sic opus haud fuerit *proles* unire molestas,
Sed sine diversa *prole* beatus ages.
Gratulor interea dum nos post terga relinquis
Et cupis ingenio nobiliora Tuo,
Nempe velut faciles hederæ, consurgitis altè
Dum nos in sterili pulvere pulvis alit.
Cos obtusa manet, ferro licet addat acumen,
Sorsque eadem nobis, quæ fuit ante, manet.
Perge Tibi coeptam felix decurrere metam,
Et faveat votis, qui colit astra, Tuis

Sic animitus applaudit
J. Gerlacus Wilhelmi,
Gymnasii Rector.







AB: 154447


ULB Halle 3
004 060 792



Sb.

VD 17







DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA D. N.

De
UNIONE PROLIUM,

Quam,
Divinâ Favente Gratia
DECRETO ET AUTHORITYTE
NOBILISSIMI AMPLISSIMIQ; JCTORUM
ORDINIS IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
HEIDELBERGENSI ACADEMIA,

PRÆSIDE
Viro Nobilissimo ac Excellentissimo
DN. CHRISTIANO ERNESTO
Reichenbach / J.U.D. & Pand.

in jam laudata Universitate Profess.

Ord. Dn. Fautore ac Promotore suo
æternùm colendo

PRO LICENTIA

*Summos in Utroq; Jure Honores, Privilegia
& Insignia Doctoralia solenniter conse-
quendi*

Publicæ & solenni Eruditorum Disquisitioni submittit
ABRAHAMUS BOLTZINGER,
Bacchraco-Palatin.

Ad diem 27. Junii. In Audit. Jctorum H. S.



HEIDELBERGAE,
Typis **WILHELMI WALTERI,**
Acad. Typogr. MDCLXXII.

